

403.  
FACULTATIS MEDICAE

IN

ACADEMIA WITTENBERGENSI

SENIOR ET H. T. DECANVS

GEORGIVS AVGVSTVS

LANGGVTH D

PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XXX. OCTOBR. 1712

R. L. Q. O

H A B E N D A M

INDICIT

DE

NONNVLLIS ODORATVS ADMIRABILIBVS

QVAEDAM COMMENTATVS

Physiol.

13, 44.

Odoratus


Physiol. XI 266

GEORGII AVGVSTVS  
LANGVTH D  
PATRONVS ET CHIRVRGVS P. P. O.  
PAINCVRIN MEDICAM  
NO. D. LXX. CXXXV. S. P. C. LXXV.  
HABENDAM  
MEDICVS  
LE  
HONORABILIS GORATIUS ADMIRABILIBVS  
GVAERDAM COMMENTARIATVS

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden




Multa insunt in odoratu, admirabilia prorsus, et  
quae diuinum huius sensus architectum,  
vbique manifestum, nobis ostendant. Nihil  
illius dignitati decedit, aut honori, quod  
oculo auri ve, tanquam praecipuis animae  
ministris, prior locus vulgo assignatur. Paulo attentiori-  
bus, et bona sua non nimis familiariter adspicientibus, et  
hic eius modi occurrunt, quae notatione cum primis di-  
gna sint, et in iptius etiam oculi auri ve artificiosissima,  
et plus quam labyrinthea, fabricatione, non inueniantur.  
Nam vniuersi corporis quidquid est reliquum, hoc omne,  
vt primo loco hoc vtar, conspirare fere, et in commodum  
vtriusque huius sensus, in oculorum aciem, in aurium acu-  
men, prosperrime conseruanda ac defendenda, omnes suas  
disponere, videtur, copias: at in ipso oculo auri que, sin-  
a propria illorum functione atque operatione discesseris, ni-  
hil facile inuenias, quo munere praestita sibi beneficia re-  
(A) 2 mune-



munerentur, quique reliqui corporis integritati, aeque officiosi, prospiciant. Simplici suo officio, scilicet, ut animae hoc vniuersum pingant, ut idem ipsi mobile, eoque ipso sonorum, sistant, vnice intenti destinati que apparent: at narium contra diuersum ac multiplex est ministerium. Seruiunt, ut hi, suo sensui, odoratui, inquam; sed eius modi praeter ea reliquo corpori officia, an beneficia? praestant, quae necessaria ipsi, quod que adeo consequitur, longe nobilissima, agnoscas. In quibus hoc in primis notandum, et tanto earum auctore dignum reputandum, est, quod, aliis seruiendo, sibi met ipsis tandem seruiant, et, post longas etiam ambages, omnia, in vnum quasi finem amice consentientia, colligant. Exempli loco haec habe ac meditare.

Seruiunt nares meatibus suis palatinis, quos choanas quidam vocant, respirationi quam commodissime; imo vero, ut sua quemque experientia docet, longe felicius hac illa parte succedit, quam ipsum per os atque fauces. Hoc autem sine attrahendum in pulmones spiritum ante depurant, nimis frigidum tepidiorem faciunt, elasticum nimis emolliunt, sicciorem humectant, aptum que, vno verbo, efficiunt, qui vitale viscus subire sine noxa possit; remeantem vero e pulmonibus aërem comiter excipiunt, insensilem plurimum tenues in auras dimittunt, cum strepitu non numquam, sub emunctione, tussi ac sternutatione, explodunt, lentam sic pituitam, et ex interioribus sedibus sinibus que collectas sordes, quo purior sanguis caput ac cerebrum subeat, expellunt, ipsi que tandem voci formandae, ac perpetuae et continenti orationi, mirifice fauent. Quae omnia, tam pulchre ac sapienter disposita, quam egregie ipsi simul odoratui gignendo seruiunt! plane, ut vnice in hunc finem haec ita adparata tibi persuadeas.


Vt,



Vt, quam admirabilis, quam fere stupenda, sit haec diuersorum officiorum, in organo, tam exiguo, nec condigne semper reuerenterque a nobis habito, coniunctio consensio que, hoc, inquam, vt plenius aliquanto possis intelligere, necessum erit, Anatomicorum solertia interioris structurae artificium ac conspirationem vt ad oculos tibi demonstret, aut olim demonstratam denuo repraesentet: in praesenti vero iis contentus acquiescas, quae ipse vitae vsus quemque edocet, eadem que haud fastidiose cogites.

Enim vero obscurum nemini, aut plane ignotum, esse potest, odoratum, dum aëra per nares inspiramus, generari ac perfici, compresso autem spiritu nihil nos odorari, nec emunctissimas etiam nares a foetidis ac virosis exhalationibus, imo nec ab accenso, naribus que prope admoto, sulphure moueri. Minutae enim rerum odorarum particulae mutari ante, cryptas et anfractus narium profundiores adire, cum aëre igitur attractae ab humoribus, in membrana narium pituitaria secretis, aliunde que adductis, solui, ipsis dein papillis nerueis adplicari et quasi insinuari, pressae que in his angustiis moram agere, debent, ante quam affici earum sensu possimus; non aliter, atque palatus nihil, nisi solutum, iudicat. Hac igitur in parte vt duplex respirationis est utilitas, propter ea que per nares patula ad pulmones via strata cernitur, ne actus respirationis, adeo ad vitam et continentem sanguinis circuitum necessariae, inter alia oris ac faucium ministeria, impediatur penitus que sufflaminetur; vt que ab adductis ad nervos suos odoribus, praestantissimus hic sensus excitari ac perfici possit: ita quoque secreti in his locis a sanguine, lymphatici mucosi que, humores, ipsae que, hic commode de-


(A) 3 fluen-



fluentes, lacrymae, non tantum, tanquam pereuntes aquae, excretioni atque educationi per has collicias, destinatae sunt, sed veluti ex hac primaria intentione, vt symbolas suas ad odoratum perficiendum conferant, vt tenuiori lympha neruis fordes abstergant, molliori vngvine aduersus varias iniurias eisdem defendant, hosque animae canaliculos lubricos praestent patulosque conferuent, huc deriuatae videntur.

Sic actio vitalis, cum naturali, aut, si mauis, cum animali, actione, vt Medicorum consuetudo loquitur, proxime coniuncta, vtraque vero, etsi suo quaeque modo, voluntati nostrae subiecta, est. Vt animam recipemus, interna quadam et insuperabili necessitate adigimur; sed, quamam via, per os, an per nares? aerem haurire velimus, id integrum nobis relictum est. Odoratus autem omnino a nostra potestate dependet ac prouidentia: quo pulchre monemur, vt huius sensus integritati, pro eius dignitate, prospiciamus, nec quaslibet auras patulis nimium captemus naribus, nec, vt gustatum, voluptarium illum faciamus, nimiumque sollicitando obtundamus: quum maior ac dolentior odoratus iactura sit, quam vulgo creditur.

Quem ipsius naturae monitum non aspernabuntur, qui res, aequae suaue - ac male - olentes, in primis que fragrantiora ac foetidiora, tractare, aegrotantes frequentare et Medicas ipsis manus admouere, tum vero etiam pharmaca atque metalla miscere ac coquere, vt alia nunc omitamus, officii ratione tenentur. Nulla enim via contagia, venenosae que indolis exhalationes, promptius corpus subeunt, suam que non diuisam vim cum internis ac vitalibus visce-




visceribus, cum pulmonibus maxime, communicant, quam per haec occulta narium itinera. Quapropter in his necessitatibus, et vbi tetras eius modi mephites longius prospicere, aut temporius effugere, non potuimus, consultius nihil esse patet, quam nares comprimere, spiritum, fieri quantum potest, cohibere, aut per os solum ducere, illud que deinceps diligenter eluere, ac saliuam exspuere, quin et nares emungere, et prouido ptarmicorum vsu sternutationes prouocare.

Atque consilii huius salubritatem ac necessitatem alterum illud, quod in huius sensus instrumento, omni attentione nostra, quin admiratione longe adhuc maiore, dignum videtur, summus ille ac proximus narium cum reliquis omnibus naturalibus ac vitalibus visceribus, cum integro, quod consequitur, corpore, consensus, locupletissime confirmat. De quo quum nuper admodum, modestiam sternutantium medicam modeste exponentes, disseuerimus, perpauca hoc loco commemoranda sunt.

Haecenus nimirum per experientiam abunde didicimus, quae sternutationis vis atque potestas in vniuersum corpus esse soleat; quamque fortiter ac violenter, interanea maxime, inde comprimantur ac concutiantur. Quae si secundum naturam comparata sunt, dici vix potest, quot egregios vsus eius modi subita ac valida concussio exferat; quamque mirifice secretiones et excretiones, aliasque ab his pendentes functiones, promoueat. \*) Nec minus eadem nos docuit magistra, voluptatem odorum non ad nares

\*) Vnde procul dubio ritus, sternutantibus bene precandi, congratulandi que, natales suos adeptus est.




res tantum pertinere, sed ad omne corpus, ad caput maxime ipsum que cerebrum, pertingere, nos que adeo non delectare modo, sed magnopere etiam reficere, et suppressas exhaustas que vires, in animi deliquiis, omni que debilitate, momento saepe temporis, ad miraculum fere, excitare ac restaurare; quin graueolentium quoque haud raro longe maiorem ac praestantiorum esse efficacitatem: elegantiore sexu, vterinis suffocato adfectibus, id suo quotidie perhibente exemplo. Sed causam ac modum horum effectuum, sicuti generaliorum, ita minus sufficientem, nec satis probabilem, adhibita licet et consulta omni Physicorum sagacitate, suppeditare potuimus. Nunc autem, demonstrata ad oculum, vera nervi Intercostalis origine; utpote qui alteram radicem a secundo ramo quinti nervorum paris, ad ipsas nares partem excurrentis, accipit, suo que in itinere cum pari octavo, quod vagum quoque dicimus, saepe multumque communicat ac coit: a quibus nempe viscera pleraque omnia suos nervos habent; rationem huius consensus perspicere, fereque palpare, possumus; quamvis praecipuas sternutationis, ab ea que provenientium concussuum, partes, ut nervorum, per nares disperforum irritationi, sic moto violenter thoraci cum suis, respirationi dicatis, machinis, praesertim adscribendas esse lubenter largiamur.

Tam obesae igitur naris nemo quisquam amplius esse potest, quin protinus subodoretur, diuinam intelligentem que naturam, non odoratus tantum augendi ac uendi que gratia, sed in finem multo praestantiorum, radicem primariorum corporis nervorum in nares inseruisse, et cum nervis commiscuisse olfactoriis. Nobis certe, ut nihil dis-

simu-






simulemus, sic effectum videtur, vt ius quasi vitae et necis naribus competere intelligamus. Saltem in insultibus apoplecticis, in pertinacioribus animi deliquiis, aliis que soporosis adfectibus, animam, profundo sepultam somno, iam que abitum parantem, irritis saepe aliis remediis omnibus, odorum, gratorum ingratorum que, penetrabili virtute, excitari tandem ac reuocari posse, res est, communi experientia et infinitis numero exemplis comprobata.

Quid nostri ergo erit officii? Haec frustra subinde speculari nudeque mirari; aut maximum in minimis agnoscere et venerari Deum, tantumque munus, ac constitutum in naribus prosperrimae valetudinis conseruandae praesidium, factum nobis seruare ac integrum? Vidimus nuperime matronam nobilissimam, adfectionibus obnoxiam hystericis, tam graui subita que prostratam syncope, vt inter praesentissimae virtutis remedia, in alteram horam frustra consumpta, animam iam tum, tota frigida rigida que, exhalasse videretur, vix que tandem, foetidissimis perfusa odoribus, inter labores ac sudores nostros bene multos, ad se rediret: nulla alia tam obtusi callosique sensus, odoratus, causa existente, quam pulueris sternutatorii nefanda fatalique abusione. Nonne vero et haec, inter alias, voluptas summo iure capitalis pestis habenda est, magno que emta dolore nocet? Sperneretur forte, si honestati contraria duceretur aut elegantiae; at, sanitati contraria, non spernitur.


*O miseras hominum mentes! o pectora caeca!*

Multo prouidentius nobis cum egit, qui duplicatum hoc  
(B) odora-



odoratus instrumentum, pilorum, siue vibrissarum, vallo, haud fortuito, munitum, nobis esse voluit, diuinus machinae nostrae animatae architectus; quod, tertio tandem loco mirandum, paucis proponamus. Non vacat, casus illos omnes longo ordine recensere, quibus narium laedi vitari que possit integritas. Propria experientia saepe multum que didicimus, fat grauem molestam que nobis accidere grauedinem ac coryzam, propter ea, quod et respirationem laboriosam reddit, vocique et orationi officit, et odoratum obtundit penitus que aufert. Idem haud raro, morbo cum primis acuto, perfecta crisi non soluto, contingit, peccante materia ad interiora narium deposita; quo in casu fragrantissimae etiam res, naribus oblatae, peregrinum plane et nauseosum, imo tetrum foetidum que, spirare odorem, solent, aliis, ipsis que nobis, intolerabilem. Quod odoratus vitium ad fauces saepe, ipsum que ventriculum, descendit, tumque gustatum perdit, tum appetitum ciborum quoque imminuit ac prosternit. Nares enim, vt CICERO, de natura Deorum differens, recte obseruauit, eo, quod omnis odor ad superiora fertur, recte sursum sunt; et, quod cibi et potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Vt alter igitur oculus, auris que altera, integra saepe valetudine fruuntur, altero illorum male adfecto perditoque; quod solatio nobis, et magno miseriae leuamento, esse potest: Sic non minore nostro commodo idem in naribus deprehendimus, altera illarum parte officium denegante, altera idem ad votum faciente. Id quod, nisi magnopere fallimur, dignitatem, et utilitatem prorsus singularem, organi huius sensorii haud obscure prodit, nos que adeo, vt illam eius praerogatiuam agnoscamus, tam que caram eius integritatem

tem



tem diligenter custodiamus, admonet, sicut odoratus ac respirationis facillioris, ita, ante alia omnia, stupendi illius, cum nobilissimis visceribus, consensus conseruandi, gratia.

Haec de structura narium, de duplici earum officio, prorsusque singulari cum vniuerso corpore consensu, omnino admirabilibus, nunquam satis demirandis, et diuini conditoris infinitam potentiam ac sapientiam nobis manifestantibus, generatim differuisse sufficiant: de singularibus ipsius odoratus, non minus omnium admiratione dignissimis, alia, aequae prospera, occasione, ex veteribus CICERONEM, PLINIVM, GALENVM, ex recentissimis DERHAMVM, NIEWWENTYTIVM ac WOLFIVM, in primis que RAMAZZINVM, particularem et absolutam historiam de Odoribus in scientia Naturali magnopere desiderantem, praeceuntes, sequuti dicere pergemus.

Horum singularium numero potissimum censeretur, fatalis ille ac funestus suaueolentium fragrantiumque odorum effectus, de quo praesens haec Inauguralis Disputatio copiose eleganter que exponit. Defendendam hanc in se suscepit, ad summos in Arte Salutari honores modeste aspirans,


Nobilissimus atque Doctissimus Medicinae Candidatus,

PETRVS RENSCHIVS,  
Grubschicio-Lufatus,

Tuo fauori atque humanitati Tuae, B. L. merito a nobis commendandus, hoc etiam sine vitae ac studiorum rationes ipse Tibi commemorans:

(B) 2

*Ego,*



Ego, PETRVS RENSCHIVS, anno MDCC  
 XXXX die XXVII. Mensis Iulii, Grubschicii, in Lusatia su-  
 periori, Patre, IO ANNE RENSCHIO, eiusdem Praedii  
 rustici nobilis Possessore, et Matre, MARIA, e gente MV-  
 SCHIKIA, natus sum. Praematura morte patre mihi erepto,  
 optima mater, adhuc superstes, quamque summum Numen  
 diu seruet, curam omnem atque sedulitatem in me forman-  
 do et educando adhibuit. Finitis infantiae annis priuata in-  
 structione usus sum, postea in Gymnasio, quod Budissae flo-  
 ret, per octo annos tam publicis quam priuatis fidelissimo-  
 rum praeceptorum lectionibus interfui, nimirum ZEIS-  
 KII, Rectoris, M. IANI, Conrectoris, et M. WEISII,  
 tunc Subrectoris, iam pie defunctorum, nec non M. HET-  
 SCHOLDI, nunc Subrectoris, a quo in primis Physices  
 principia hausit, ac GOESSELII, Directoris Musices et  
 Collegae, quorum erga me merita laudibus nunquam satis  
 efferre me posse, publice profiteor. Ita praeparatus ad altiora  
 anno MDCCLVII. Lipsiam salutavi, ciuibusque Academi-  
 cis adscriptus sum, a Magnifico PLAZIO, fasces tum gerente.  
 Et cum studio Iuridico incumbere tunc animus esset, prae-  
 ter Philosophicas et Historicas, etiam Iureconsultorum, scho-  
 las frequentavi, duces secutus Viros Excellentissimos, MVL-  
 LERVUM, GOTTSCHEDVUM, BOEHMIVM, BE-  
 LIVM, GELLERTVUM et SAMMETIVM; prae-  
 terea in Anatomiae, Physices et Matheseos, cognitione mi-  
 hi comparanda Viros Excellentissimos, HVNDERTMAR-  
 KIVM, WINKLERVUM, et RV DOLPHVUM, fidelis-  
 simos